

Bragadeno contradicente, aliorumque Principum prius explora-
randa consilia, mentesque pernoscendas esse dictitante: atque,
ut ære publico peditum trium millium stipendum Cardinali
persolveretur, latum. Statimque Antonius Maria Vincentius,
a Senatus secretis, qui decreta auxilia significaret, pecuniam
ferret, atque apud eum moraretur, Mantuam missus. Cardi-
nalis per litteras, perque Paulum Surdum, ac Jacobum Arci
Principem Venetias missum, ingentes atque immortales gra-
tias Senatui egit, quod eximia liberalitate se suosque posteros
insueto atque immortali beneficio devinxisset. Cosmus quoque,
magnus Hetruriæ Dux, Mantuano, cui affinitare junctus erat
(ex sorore enim Ferdinandi ejus patris ortus fuerat) qua-
cumque ratione suffragari statuit, duorumque peditum millium
Francisci fratris imperio, Francisci Montii ductu, subsidio
mittere decrevit.

Veneti in ea belli suspicione oppida atque arces exactius
communire, copias cum Italo tum externo milite augere
statuunt. Ut tria peditum Italorum millia, Epirotæ mille,
totidem Corsi conscriberentur, decretum. Asulæ Franciscus
Molinus, qui nuper in Adriatico sinu classis præfecturam
obtinuerat; Urceis novis Augustinus Michaelius, qui e Cre-
tæ prætura redierat, præficiuntur; Marcus Bragadenus, Mar-
ci Antonii filius, Bergomum; Petrus Bondimerius Cremam
præfecti mittuntur; Antonius Priolus, Eques ac Marcius
Procurator, continentis cum summo imperio legatus renun-
ciatur. Cardinalis interea ad Sabaudi impetum excipendum
se comparat; undique milites cogit; in Montisferrati ditio-
nibus mille, totidem in Mantuanis pedites, quingentos lo-
ricatos equites Reipublicæ ære conscribit; Vincentium fratrem
Casali, quæ præcipua munitissimaque ejus regionis arx atque
propugnaculum est, præficit. Per eos dies cum Henricus
Nivernensis Dux, qui Gallia digressus, sororem, Virginii
Ursini filio despontatam, Florentiam deducebat, Amphioli
de iis, quæ in Subalpinis acciderant, cognovisset, remque ad
se, quod Cardinali affinis, atque Gonzaga domo ortus esset,
attinere ratus, quinquaginta ex Gallica nobilitate stipatus
Casale ingreditur.

Interea, dum exortæ inter Carolum & Cardinalem con-
tro-

*Antonius
Maria Vine-
centius
Mantuam
a Senatu
mittitur.*

*Cosmus
Hetruriæ
Dux Man-
tuano auxi-
lia mittit*

*Veneri præ-
fectos ad
urbium cu-
stodiā eli-
gunt.*

*Antonius
Priolus, le-
gatus cum
imp. in con-
tinenti.*

*Henricus
Nivernen-
sis Dux Ca-
sale ingredi-
tur.*